

Ks. FRANZ HEINRICH REINERDING,
DOKTOR ŚW. TEOLOGII I FILOZOFII
ORAZ PROFESOR TEOLOGII W SEMINARIUM W FULDZIE.



**CZY HERETYK NIE PRZYNALEŻY DO
KOŚCIOŁA ZE WZGLĘDU NA CHARAKTER
PRZESTĘPSTWA, CZY TEŻ Z PRAWA
KOŚCIELNEGO?**



KRAKÓW 2024

www.ultramontes.pl



Czy heretyk nie przynależy do Kościoła ze względu na charakter przestępstwa, czy też z prawa kościelnego?

Ks. FRANZ HEINRICH REINERDING,

DOKTOR ŚW. TEOLOGII I FILOZOFII ORAZ PROFESOR TEOLOGII W SEMINARIUM W FULDZIE.

Po tych wstępnych rozważaniach przejdźmy teraz do zagadnienia, co heretyków oddziela od Kościoła (ze stałej praktyki Kościoła wynika, że kacerze do Kościoła nie należą), czy jest to sama herezja, czy też autorytet Kościoła, który ich ekskomunikuje. Kwestia ta nie dotyczy tego, czy wymagana jest władza Kościoła, aby *wiadomo było*, że heretycy, którzy sprzeciwiają się jakiejś doktrynie Kościoła w kwestii wiary, nie należą do niego, ale tego, czy przy założeniu, że żadne prawo kościelne nie ekskomunikuje ich, byłiby oni *jednak* ekskomunikowani *ipso facto*.

Rozwiązanie tej kwestii zależy od konstytucji, którą otrzymał Kościół z Boskiego ustanowienia; która to konstytucja Kościoła, ponieważ nie pozwala przynależać do Kościoła osobie uporczywie sprzeciwiającej się temuż Kościołowi w rzeczy dotyczącej wiary, bezwzględnie wymaga, aby heretycy sprzeciwiający się Kościołowi w sprawie wiary byli automatycznie ekskomunikowani, a prawa kościelne sankcjonujące karę ekskomuniki dla kacerzy należy uważać za stosujące prawo Boskie podane w konstytucji Kościoła.



Rzeczywiście, jeśli spojrzymy na naturę Kościoła, czymże innym jest Kościół jak nie społecznością wierzących, którzy wyznają prawą wiarę objawioną przez Boga i przedłożoną przez autorytet Kościoła? Dlatego ten, kto kwestionuje prawdę objawioną przez Boga, ale jeszcze nie przedłożoną przez Kościół, chociaż w ten sposób traci prawdziwą wiarę, może nadal należeć do ciała Kościoła (wyznającego określone dogmaty) jako martwy członek; lecz ten, kto w podobny sposób zaprzecza objawionej przez Boga doktrynie, którą Kościół przedkłada do wierzenia, taki człowiek nie może przynależać do Kościoła, co wynika z samej natury tegoż Kościoła.

Nie przeszkadza to jednak, aby kara ekskomuniki, którą Kościół karze heretyków, dodawała coś do kary, którą heretyk ponosi *przez siebie*. Rzeczywiście, kara ekskomuniki, rozpatrywana we wszystkich jej częściach, zawiera wiele elementów, których oddzielenie od Kościoła *formalnie* nie zawiera.



Theologiae fundamentalis tractatus duo. Scripsit F. H. Reinerding, SS. Th. et Ph. Dr. et Th. Prof. in Seminario Fuldensi. Tractatus prior. *Demonstratio christiano-catholica contra adversarios generatim omnes*. Monasterii Guestphalorum. SUMPTIBUS LIBRARIAE ASCHENDORFFIANAE. 1864, ss. 250-251 (nr 430). (1)

Tłumaczył z języka łacińskiego Mariusz Gruszczyński

(Ilustracje od red. *Ultra montes*).

Przypisy:

(1) Por. 1) Sac. F. H. Reinerding, Doctor Theologiae, a) [*Theologiae fundamentalis tractatus duo. Tractatus prior. Demonstratio christiano-catholica contra adversarios generatim omnes. De iis, qui auctoritati Ecclesiae obluantur.*](#) b) [*De necessitate Ecclesiae ad salutem.*](#) c) [*Num haereticus ex natura criminis, an ex lege ecclesiastica ad Ecclesiam non pertineat?*](#)

2) Ks. Ignacy Grabowski, a) [*Prawo kanoniczne według nowego kodeksu.*](#) b) [*O występkach przeciw wierze i jedności kościelnej.*](#) c) [*Kościół a herezja.*](#)

- 3) Ks. Jan Nepomucen Opieliński, a) *Co to jest ekskomunika?* b) *Ekskomuniki Konstytucji "Apostolicae Sedis"*. c) *Ekskomunika na heretyków, apostatów i ich współników*. d) *Ekskomunika na schizmatyków*. e) *Apostaci, heretycy i schizmatycy a inni grzesznicy*.
- 4) Kodeks Prawa Kanonicznego. Papież Pius IV, *Wyznanie wiary katolickiej (Professio Catholicae Fidei)*.
- 5) Papież Urban VIII, Papież Benedykt XIV, *Wyznanie Wiary dla chrześcijan wschodnich (Professio Fidei Orientalibus praescripta)*.
- 6) Kongregacja Św. Inkwizycji, *Wyznanie Wiary dla heretyków przechodzących na łono Kościoła katolickiego*.
- 7) Ks. Adolf Tanquerey, *O herezji*.
- 8) Ks. Jules Didiot, a) *Herezja*. b) *Mały traktat o Kościele (wraz z odpowiedziami na zarzuty adwersarzy)*. c) *Msza święta*. d) *Niepokalane Poczucie*. e) *Męczeństwo*. f) *Dusza kobiety*.
- 9) Ks. Adam Kopyciński, *Bezwyznaniowy*.
- 10) Ks. Franciszek Bączkiewicz CM, *Przepisy Kościoła odnoszące się do współżycia katolików z heretykami*.
- 11) Ks. Nicolas Pauwels, *Czy heretycy są w Kościele? (An haeretici sint in Ecclesia?)*.
- 12) a) *Mały katechizm o Syllabusie*. b) *Mały katechizm o Nieomylności Najwyższego Pasterza*.
- 13) Kwintus Septymiusz Florens Tertulian, a) *Preskrypcja przeciw heretykom. (Liber de praescriptionibus adversus haereticos)* b) *O dyscyplinie i obyczajach heretyków (De haereticorum disciplina et moribus)*.
- 14) Św. Wincenty z Lerynu, *Pamiętnik (Commonitorium). Rozprawa Pielgrzyma o starożytności i powszechności wiary katolickiej przeciw niezbożnym nowościom wszystkich kacerzy. (Commonitorium adversus haereses. Tractatus Peregrini pro catholicae fidei antiquitate et universitate adversus profanas omnium haereticorum novitates)*.
- 15) Ks. Dr Henryk Maria Pezzani, *Kodeks Świętego Katolickiego Kościoła Rzymskiego. Kanon 26. Zakazany jest wybór na Papieża tego, kto odstąpił od wiary katolickiej, heretyka lub schizmatyka; jeśli ktoś taki zostanie wybrany, wybór jest nieważny. (Codex Sanctae Catholicae Romanae Ecclesiae. Can. 26. Devius a fide catholica, haereticus, vel schismaticus eligi prohibetur in Romanum Pontificem; si eligatur nulla est electio)*.
- 16) Ks. Walenty Gadowski, *Nauka Kościoła. Wybór orzeczeń dogmatycznych Kościoła katolickiego i jego praw kanonicznych*.
- 17) O. Jan Jakub Scheffmacher SI, *Katechizm polemiczny czyli Wykład nauk wiary chrześcijańskiej przez zwolenników Lutra, Kalwina i innych z nimi spokrewnionych, zaprzeczanych lub przekształcanych*.
- 18) Ks. Andrzej Macko, *Znaczenie encykliki o modernizmie*.

- 19) Św. Pius X, Papież, a) [Encyklika Pascendi dominici gregis o zasadach modernistów.](#) b) [Przysięga antymodernistyczna.](#)
- 20) Ks. Dr Maciej Sieniatycki, a) [Apologetyka czyli dogmatyka fundamentalna.](#) b) [Zarys dogmatyki katolickiej.](#) c) [System modernistów.](#) d) [Modernistyczny Neokościół.](#) e) [Problem istnienia Boga.](#) f) [Dogmatyka katolicka. Podręcznik szkolny.](#) g) [Główne zasady etyki Kanta a etyka chrześcijańska.](#) h) [Modernizm w książce polskiej.](#) i) [Nieomylny urząd nauczycielski Kościoła.](#) j) [Pojęcie katolickie o członkach Kościoła.](#)
- 21) "Obrona Prawdy", a) [Początek roku kościelnego.](#) b) [Wypis z Okólnika wydanego do Archidiecezji Kolońskiej.](#)
- 22) "Przegląd Katolicki", [Ciekawy dokument z końca XVIII wieku. Przymierze nowoczesnej teologii z filozofią ku obaleniu Religii Chrystusowej.](#)
- 23) O. Mikołaj Jamin OSB, [Myśli ściągające się do błędów tegoczesnych.](#) a). [O jedności prawdziwej religii.](#) b) [Poza Kościołem nie ma zbawienia.](#) c) [Jezus Chrystus potępia tolerancyzm.](#)
- 24) Ks. A. Kraetzig SI, [Janssen i historia reformacji.](#)
- 25) Ks. Maciej Józef Scheeben, a) [Tajemnica Kościoła i jego Sakramentów.](#) b) [Uwielbienia łaski Bożej.](#)
- 26) "Obrona Prawdy", [Następstwa odpadnięcia od Kościoła Chrystusowego.](#)
- 27) Ks. Julian Bukowski, Świętej Teologii Doktor, [O naturze inkwizycji i o prawnym teże instytucji w Kościele i państwie ustanowieniu.](#)
- 28) Biskup Wileński Adam Stanisław Krasieński, Św. Teologii Doktor, [Prawo kanoniczne krótko zebrane.](#) a) [O występkach i karach kościelnych.](#) b) [Reguły prawa umieszczone w Szóstej księdze Dekretaliów.](#)
- (Przyp. od red *Ultra montes*).



Veritas liberabit vos

THEOLOGIAE FUNDAMENTALIS

TRACTATUS DUO.

SCRIPSIT

F. H. REINERDING,

SS. TH. ET PH. DR. ET TH. PROF. IN SEMINARIO FULDENSI

TRACTATUS PRIOR.

DEMONSTRATIO CHRISTIANO-CATHOLICA

CONTRA

ADVERSARIOS GENERATIM OMNES.

JUS VERSIONIS RESERVATUR.

MONASTERII GUESTPHALORUM.

SUMPTIBUS LIBRARIAE ASCHENDORFFIANAE.

- 1 8 6 4 .

§. 3. De quibusdam quaestionibus connexis, quae fidem spectant.

424. Quamvis plures quaestiones fidem spectantes occasione data in praecedentibus paragraphis jam discussimus, quaedam tamen supersunt, ad quas breviter respondere oportet. Ac 1^o quaeritur, quid sit dogma catholicum, quid dogma fidei, articulus fidei? Nomen dogmatis catholici sensu *latissimo* id nonnunquam significat, quod in Ecclesia catholica citra censuram doceri potest, et hoc sensu omnes scholarum sententiae dogmata catholica, sententiae catholicae appellantur. Strictiori sensu dogma catholicum id significat, quod omnibus fidelibus cum obligatione credendi illud, sive fide Divina, sive ecclesiastica tantum, propositum est. Sensu stricto dogma catholicum idem est ac dogma fidei et id significat, quod tanquam *de fide* credendum propositum est. Nonnulli etiam inter dogma fidei et dogma fidei declaratum distinguunt, qui dogma fidei id, quod de fide est, dogma fidei declaratum autem id vocant, quod de fide esse declaratum est. Attamen, quod tantum per se de fide est, minus convenienter fidei *dogma* appellatur, quae vox, quum aliquod placitum designet, incongrue de fide in se spectata adhibetur. Unde non omne dogma catholicum sensu lato etiam fidei dogma est. Nomen articuli fidei minus late patet, quam nomen dogmatis fidei. Etenim articulus fidei id vocatur, quod primario ad fidem pertinet et specialem credendi difficultatem habet, unde non omnia fidei dogmata, sed sola principalia et primaria articuli fidei appellantur; primaria autem dogmata ex S. Thoma 2. 2. q. 1. a. 6. illa sunt, „quae directe nos ordinant ad vitam aeternam, sicut tres personae omnipotentis Dei, mysterium incarnationis et alia hujusmodi.“ Nonnunquam tamen sensu minus stricto omne fidei dogma fidei articulus vocatur.

425. Quaeri rursus 2^o potest, quo mentis assensu veritates fidei credi debeant, et num omnes credendae sint. Agitur hic, non de fidei specie, sed de firmitate assensus. Assensus autem hic firmissimus esse debet, ut omne dubium excludat. Quod ad alteram quaestionem attinet, duplici sensu quaeri potest, num inter fidei veritates distinguendum sit; eo videlicet, num aliae magis aliis necessitate medii vel praecepti explicite credi debeant, et eo, num inter veritates revelatas sint, quibus sine salutis dispendio fidei assensus denegari possit. Posteriori sensu inter veritates fidei distinguere impium est et fidei subversivum. *Impium*, quia, si Deus veritatem aliquam revelavit, summa Dei scientia et veracitas, ut ei fidem adhibeamus, postulat. *Fidei subversivum*, quia, cum Dei auctoritas re-

velantis pro omnibus veritatibus revelatis eadem sit, is, qui unam negat, in *principio* etiam alteram negat. Omnes hinc veritates, sive *explicite* sive *implicite*, credi debent. Si autem quaeratur, num omnes *explicite* credi debeant, merito inter veritates necessitate medii vel praecepti necessarias et alias non ita necessarias distinguitur. Articuli ex omnium sententia necessitate medii *explicite* credendi sunt esse Deum eumque remuneratorem existere, quibus aliqui eos de mysteriis Ss. Trinitatis et Incarnationis addunt. Necessitate praecepti symbolum Apostolorum, decalogus, praecepta Ecclesiae, sacramenta, quae quis suscipere debet, saltem quoad substantiam, oratio Dominica et modus efformandae crucis sciri debent. In quae singula hic ulterius ingredi non possumus.

426. Quaeritur et 3^o, num veritates fidei successu temporis creverint. Si quaestio haec de tempore usque ad Christum intelligatur, veritates principales necessitate medii necessarias ab aliis, quae sunt minus necessariae, distinguere oportet. Veritates necessitate medii necessariae jam ab initio mundi partim clare, uti illae, quae omnium iudicio ita necessariae sunt, partim obscurius, ut sunt illae de Ss. Trinitate et de Dominica Incarnatione, revelatae fuerunt. Aliae autem veritates revelatae *simpliciter*, hoc est, novis veritatibus successu temporis accedentibus, creverunt. Quod si quaestio de tempore a Christo et Apostolis usque ad nos intelligatur, veritates revelatae non simpliciter, sed secundum quid, hoc est, pro nostra earum cognitione, seu, ut veritates credibiles creverunt. Successu temporis plura fidei capita, quae aut obscure revelata aut controversiis excitationis obscurata fuerant, infallibili Ecclesiae interpretatione et iudicio clare proposita sunt et sic credibilia evaserunt, qualia antea non erant. Haec sunt, quae hic supplenda esse duximus.

ARTICULUS SEXTUS.

De iis, qui auctoritati Ecclesiae obluantur.

427. Duplex Ecclesiae auctoritas non parum lucis ex effectibus accipit, quos in eis, qui eidem resistunt, producit. Non de eo hic loquimur effectu, qui a resistantia contra legitimam auctoritatem inseparabilis est, de peccato videlicet, sed de eo effectu, qui resistantiae contra auctoritatem Ecclesiae maxime proprius est, de separatione ab Ecclesia. Talis separatio, uti constans Ecclesiae praxis ab Apostolis usque ad praesens tempus testatur, haeresi et schismate incurritur. Ut haereticos et schismaticos ad Ecclesiam non pertinere

sciamus, ad hoc Ecclesiae testimonium, quod in sequenti tractatu ulterius vindicabimus, abunde nobis sufficit; sed plura hic de ipsa haeresis et schismatis natura inquirenda esse videntur, quae theologo scitu necessaria sunt, et ad quae exponenda ipsa rei natura nos hic invitat, imo compellit. Seorsim de haeresi et schismate agamus.

§. I. De natura haeresis

428. Nomen haeresis dupliciter sumi potest, objective et subjective. Haeresis objective spectata propositio haeretica est, quae qualis sit, ex articulo praecedenti liquet; haeresis subjective spectata eadem est, quatenus est in subjecto, et fidei ut virtuti theologicae per defectum opponitur. Sed hic imprimis haeresin ab aliis peccatis contra fidem per defectum distinguere juvat. Haeresis supponit cum, qui haereticus vocatur, fidem habuisse et baptizatum esse; qui enim nunquam fidem habuit et baptizatus non est, non haereticus, sed infidelis vocatur. Nec etiam is haereticus dicitur, qui, aliquando fidelis et baptizatus, totam fidem abjicit. Haeresis igitur hominem supponit baptizatum, qui non in tota, sed in aliqua tantum fidei materia male sentiat. Sub duplici autem respectu considerari potest et debet: *in se et coram Deo*, seu, quantum ad culpam attinet, et *in foro Ecclesiae*, seu, quantum ad poenas ecclesiasticas spectat. Ut quis coram Deo haereticus evadat et fidem amittat, pertinax sufficit dissensus a veritate immediate revelata et sufficienter cognita, imo etiam ab eo, quod ex errore revelatum esse putatur, sive haec revelatio publica sive privata sit. Pertinacia, de qua loquimur, nihil aliud requirit, quam deliberatum dissensum cum plena scientia de gravi obligatione credendi Deo revelanti. Ad haeresin in foro Ecclesiae incurendam requiritur: 1^o ut veritas in materia fidei Christianae negetur, quae fuerit immediate seu *formaliter* revelata, 2^o ut eadem veritas negata velut de fide credenda ab Ecclesia sit *formaliter* proposita, 3^o ut haec veritas cum pertinacia negetur, quae sufficientem cognitionem de propositione et auctoritate Ecclesiae praesupponit et deliberato voluntatis actu huic auctoritati resistentis perficitur. Pertinacia in foro Ecclesiae externo, quod de internis secundum externa judicat, adesse putari potest, quin tamen adsit, et inde consequitur fieri posse, ut quis in foro Ecclesiae externo haereticus putetur, quin tamen poenas ecclesiasticas, quae culpam gravem coram Deo supponunt, incurrerit, seu pro foro Ecclesiae interno haereticus sit. Qui cum sua culpa veritatem de fide negant, *formales* haeretici vocantur, qui id sine sua culpa faciunt, *materiales* haeretici dicuntur.

Inter haeresin pro foro Ecclesiae interno et haeresin coram Deo hoc porro interest, ut illa tanquam species in hac tanquam genere contineatur, unde omnis quidem haeresis coram Deo habitum fidei destruit et poenam gehennae meretur, sed non omnis haeresis coram Deo poenas ecclesiasticas, v. g. excommunicationem incurrit. Differentia ex eo intelligitur, quod a parte rei negatae in multis casibus aliquis coram Deo reus evadere potest, quin in foro Ecclesiae, ex defectu scilicet *formalis* propositionis, talis sit. Error simplex in re de fide ab haeresi in eo differt, quod haeresis pertinaciam includit, unde non omnis error in re de fide haeresin constituit; multo autem minus negatio veritatis, quae in veritate de fide formaliter et certo ita non continetur, ad haeresin sufficit. Ubi de haeresi ut culpa theologica sermo est, haeresis, quae talis coram Deo est, intelligitur; ubi contra de haereticis in oppositione ad catholicos loquimur, eos intelligimus, qui tales coram Ecclesia sunt, hoc est, eos, qui doctrinam, quam Ecclesia de fide esse definivit, *formaliter* negant, intelligimus. Formaliter autem illi aliquid negare dicuntur, quorum verba secundum propriam significationem accepta hanc negationem immediate significant, non autem illi, ex quorum verbis talis negatio conclusione tantum deduci potest. Cum negationem requirimus, talem pro haeresi coram Ecclesia requirimus, quae non mere interna, sed etiam externa sit. Etenim de crimine agitur, quod quis legem Ecclesiae transgressus contrahat; Ecclesia autem, quidquid, ut sunt actus interni, judicare non potest, nec lege ecclesiastica prohibet.

429. Ex iis, quae n. 428. diximus, jam omnino liquet, non omnem resistantiam, qua quis auctoritati Ecclesiae docentis pertinaciter resistit, etiam haeresin vocari. Cum clara hujus rei intelligentia ad haereticos a schismaticis distinguendos plurimum conferat, modos, quibus quis auctoritati Ecclesiae *docentis* pertinaciter resistere potest, quin eo haereticus evadat, enumeremus. Hoc 1^o fieri potest asserendo pertinaciter doctrinam, quam Ecclesia quidem damnavit, verum non ut haereticam, sed tantum ut erroneam vel indeterminata aliqua censura. Qui talem doctrinam pertinaciter asserit vel contradictorie oppositam pertinaciter negat, gravissime quidem peccat et jure pertinaciter erroneus vocatur, haereticus autem in foro Ecclesiae non est. Etenim, si haereticus vocandus esset, hoc vel ob doctrinam, quam profitetur, vel ob auctoritatem Ecclesiae, quam negat, foret. Sed non potest esse ob doctrinam, quam negat, quia haec ut certo haeretica non est proposita. Neque ob auctoritatem Ecclesiae, quam negat. Etenim primo non omnis resistantia contra aliquam

auctoritatem *formalis* ejusdem negatio est. Deinde infallibilitas Ecclesiae in conclusionibus theologicis, quamvis certissima sit, *indubie* tamen de fide non est. Alius modus 2^o foret defendendo librum, quem Ecclesia damnavit, quin tamen eum ut haereticum damnaverit. Hujus rei ratio in eo est, quia iudicium non determinate *haeresin* pro objecto habet. Tertius modus foret asserendo 3^o doctrinam, quae in conclusione inde deducenda haeresin continet ab Ecclesia damnata. Alius modus 4^o foret impugnando aliquod decretum canonisationis; quod ex dictis in superiori articulo liquet. Qui librum, quem Ecclesia velut haereticum damnavit, *defenderet*, ab haeresi liberari non posset; etenim dicere talem librum non esse haereticum sensu idem est ac dicere Ecclesiam in hoc iudicio errasse, de fide autem est Ecclesiam, cum aliquid velut haereticum damnat, esse infallibilem. Qui simili iudicio se submittere nollet, de haeresi saltem suspectus esset.

430. His praemissis jam ad eam quaestionem transeamus, quid haereticos, quos ex constanti Ecclesiae praxi ad Ecclesiam non pertinere constat, ab Ecclesia separet, num ipsa haeresis, an auctoritas Ecclesiae excommunicatione eos percipientis. Quaestio haec non de eo est, num auctoritas Ecclesiae requiratur, ut haeretici speciali Ecclesiae doctrinae in re fidei obliuctantes ad eam non pertinere *cognoscantur*, sed de eo, num in hypothesi, quod nulla Ecclesiastica lex eos excommunicaret, *ipso tamen facto* excommunicati forent. Solutio hujus quaestionis a constitutione dependet, quam Ecclesia Divinitus accepit; quae constitutio, si Ecclesiae in re fidei pertinaciter resistentem ad eam pertinere non patitur, omnino postulat, ut haeretici Ecclesiae in re fidei obliuctantes ipso facto excommunicati sint, et leges ecclesiasticae excommunicationis poenam in haereticos sancientes legem Divinam in Ecclesiae constitutione datam applicare dicendae sunt. Jamvero, si naturam Ecclesiae inspicimus, quid Ecclesia est aliud quam societas fidelium rectam fidem a Deo revelatam et ab Ecclesiae auctoritate propositam confitentium? Unde, qui veritatem Divinitus revelatam, ab Ecclesia autem nondum propositam impugnat, quamvis ideo veram fidem perdat, ad Ecclesiae tamen corpus specialia dogmata profitentis velut membrum mortuum pertinere potest, qui autem doctrinam Divinitus revelatam, quam Ecclesia ita credendam proposuerit, similiter negat, hunc ad Ecclesiam pertinere ipsa Ecclesiae natura non permittit. Hoc tamen non obstat, quominus poena excommunicationis, qua Ecclesia haereticos percillit, aliquid ei poenae addat, quam haereticus *per se* incurrit.

Etenim poena excommunicationis in omnibus suis partibus considerata multa continet, quae separatio ab Ecclesia *formaliter* non includit.

§. 2. De natura schismatis.

431. Nomen schismatis scissuram indicat, unde ex S. Thom. 2. 2. q. 39. a. 1. schisma in voluntaria sui ipsius separatione ab Ecclesiae unitate consistit. Quamvis haeresis et schisma hoc habeant commune, quod vinculum unitatis cum Ecclesia dissolvant, in eo tamen, ut S. Thomas *ibid.* notat, differunt, quod „haeresis per se opponitur fidei; schisma autem per se opponitur unitati Ecclesiasticae charitatis, et ideo, sicut fides et charitas sunt diversae virtutes, quamvis, quicumque caret fide, careat charitate, ita etiam schisma et haeresis sunt diversa vitia, quamvis, quicumque est haereticus, sit etiam schismaticus, sed non convertitur.“ Schisma igitur, cum per se in dissolutione ecclesiasticae unitatis consistat, duplici modo fieri potest, dissoluto vinculo unitatis cum capite Ecclesiae et dissoluto communionis vinculo cum iis, qui capiti sunt subjecti. Hoc S. Thomas l. c. explicans dicit: „Schismatici dicuntur, qui subesse renuunt Summo Pontifici et qui membris Ecclesiae ei subjectis communicare recusant.“

432. Ut autem quis, quod Summo Pontifici subesse nolit, schismaticus fiat, non omnis actus inobedientiae sufficit. Triplici modo, ut Cajetanus 2. 2. q. 39. ad 2. explicat, contingere potest, ut quis Romano Pontifici subesse nolit: 1. ex parte *rei* iudicatae vel praeceptae, 2. ex parte *personae* iudicantis, 3. ex parte *officii* ipsius iudicis. Resistentia ex parte officii fit, si quis Papae ut Superiori obedire renuat, seu, ut loquitur Sylvius, „quantum ad definitiones fidei et morum, seu quantum ad ea, quae sunt fidei aut religionis Christianae“, pertinet, sive hoc ex mentis errore, sive ex sola pervicacia voluntatis procedat, et haec resistentia, si pertinax sit, schismatica est. Ex parte personae iudicantis resistentia fit, si quis, quia *personam* papae in aliqua re suspectam habet, ipsius iudicium declinet, *paratus* tamen ad obediendum iudicibus *ab eodem* constitutis, in quo ne umbra quidem schismatis est. Fit tandem resistentia ex parte rei iudicatae vel praeceptae, si quis, quamvis Papam ut superiorem agnoscat, particulari ejus iudicio vel praecepto, hoc propter particularia motiva exsequi nolens, resistat, et haec per se simplex inobedientia est. Si tamen Papa praecepto ita insistat, ut, nisi resistens obtemperet, communionem se abrupturum minetur, et si resistens etiam tali mandato non obtemperet, ejus resistentia procul dubio schismatica evadit.

Etenim, ut quis schismaticus sit, aliquid sufficit malle facere, quam unitatem Ecclesiae servare. Ex quibus patet partim ex intentione vel explicita vel implicita, partim ex re, de qua agitur, dijudicandum esse, num inobedientia pertinax schismatica sit. Si inobedientia in re fiat, in qua Ecclesia vel Papa indubitatum praecipendi jus habet, videndum est, num inobedientia ideo fiat, quod quis subesse nolit, an ex fragilitate vel mala cupiditate ad vetitum faciendum impellente. Qui ideo renititur, quod subesse non vult, indubitanter schismaticus est. Idem de eo valet, qui in ejusmodi adjunctis resistit, ut actu exercito cupiditatem sequi, quam unitatem servare malit. Communionem ecclesiasticam cum Ecclesiae catholicae membris abrupta schisma fieri per se patet. Sicut tamen haereticos materiales et formales ita etiam schismaticos materiales et formales distinguere oportet.

453. His praemissis jam facile discrimen, quod inter haereticos et schismaticos intercedit, intelligitur. Ut, num secta aliqua velut mere schismatica, an etiam velut haeretica consideranda sit, intelligatur, ipsa ejus fides inspicienda est, quae si haeretica sit, ipsa etiam secta velut haeretica habenda est. Deinde, quamvis facile fieri possit, ut secta in primo suo ortu nullam haeresin includat, non aequè facile tamen contingit, ut secta initio pure schismatica diu ab omni prorsus haeresi immunis maneat, quaecunque ejus causa sit. Hoc maxime in graecis schismaticis comparuit. Hi initio schismatis, quamvis de auctoritate Romani Pontificis querelas moverent, processionem Spiritus Sancti a filio symbolo esse adjectam reprehenderent et alia plura latinis exprobrarent, nullum tamen dogma impugnarunt; processu autem temporis eo pervenerunt, ut primatum Romani Pontificis et processionem Spiritus Sancti a filio etc. vere negent. Haeresis, in quam schisma pondere suo fertur, negatio est primatus Romani Pontificis, vel negatio necessitatis unionis ecclesiasticae, quaecunque ejus causa initio fuerit. Causa schismatis, si hoc ex inobedientia et non ex alia quadam causa oriatur, vel in aliqua consistit disciplina, sive in re cum eadem connexa, quam schismatici recipere recusent, vel in re ad fidem pertinente, quin tamen de fide sit, quam schismatici credere detrectent.

434. Si quaeramus, cur schismatici ad Ecclesiam pertinere non possint, hujus rei ratio rursus ipsa schismatis natura est. Schisma, uti ex dictis patet, ex eo oritur, quod quis sive *explicite* sive *implicitè* ad Ecclesiam pertinere non vult. Ecclesia autem non talis est societas, ad quam quis, praeter quam propria voluntate, pertineat, sed talis, ut contra suam voluntatem nemo ad eam pertinere

possit. Schismaticus igitur, non lege primum ecclesiastica, quae eum separet, sed simili modo ac haereticus, per se ab Ecclesia exclusus est. Haec de schismate dixisse sufficiat.

ARTICULUS SEPTIMUS.

Brevis notitia de Pontificiis decretis et de conciliis oecumenicis.

435. Olim Romani Pontifices decreta sua generalia vel in concilio vel etiam litteris ad aliquam provinciam datis et inde in alias transmittendis edere solebant. Concilia nunc admodum raro pro ejusmodi negotiis indicuntur. Romanus Pontifex, si quid pro universa Ecclesia statuit, vel decreto alicujus congregationis Cardinalium, quod ipse approbaverit, vel certis litteris, quas Bullas vocant, utitur; res minoris momenti in *forma brevis*, ut vocant, ab ipso expediri solent. Pontificiae constitutiones in Bullario inveniuntur collectae. Auctores, quum Constitutiones Pontificias citant, praeter nomen Pontificis etiam verba, quibus incipiunt, v. g. *Exurge, Domine* etc. *Vineam Domini* etc. indicare solent, quo inter Bullas Pontificis nominati eam, quae ita incipit, quaerendam esse volunt. Non potest esse hujus loci ea, quae in constitutionibus Romanorum Pontificum et conciliorum generalium continentur, hic singillatim indicare vel etiam longissimam Bullarum seriem texere. Quae in his juris ecclesiastici fontibus fidem spectant, in praeclaro opere cl. Prof. Denziger, *Enchiridion* etc. collecta inveniuntur. Conciliorum Generalium brevem quendam indicem exhibebimus; quod autem ad eorum historiam attinet, cum generatim ad historiam ecclesiasticam, tum speciatim ad varias conciliorum collectiones referimus.

436. *Concilium oecumenicum I.*, Nicaenum I., celebratum est Nicaeae in Bithynia anno 325. Constantino Imperatore et Sylvestro Papa. Ejus causa triplex fuit: haeresis Aarii Divinitatem Verbi negantis, controversia de die paschatis et schisma Meletii Lycopolitani in Aegypto Episcopi. Ad concilium, quod cum consensu Sylvestri a Constantino convocatum est, 318 Episcopi convenerunt, exceptis tribus omnes orientales; eidem Osius Cordubensis, Vitus et Vincencius presbyteri Romani praesederunt. Tanquam appendix hujus concilii Sardicense habetur, an. 347. praesidente Osio (Julii I. nomine) Sardicae celebratum, cujus causae Arianorum vexationes fuerunt.

437. *Concilium oecumenicum II.*, Constantinopolitanum I., convocatum est ut concilium orientale a Theodosio sen. et habitum an. 381. Damaso I. Papa. Convenerunt ad hoc concilium 150 orientales

([HTM](#))